las sen

ymbolae

riticae

Mit hoher Genehmigung

Eines Hochwürdigen evangel.-luther. Consistoriums

zeigt die

Oeffentlichen Prüfungen

und die

Progressions-Feierlichkeit

des

Gymnasiums

ehrerbietigst und ergebenst an

Dr. *Johannes Classen*,

Director und Professor.

Joannis Classeni symbolarum criticarum particula altera.

Schulnachrichten.

Frankfurt am Main.

Druck von H. L. Brönner.

1863

Altera symbolarum criticarum particula, quarum prior ante hos quattuor annos edita est, omnis fere in Tacito vel interpretando vel emendando versabitur. Qui quamquam, ex quo tempore luci redditus est, usque ad nostram aetatem doctissimorum hominum ingenia et industriam miro fervore et prospero eventu exercuit, idem tamen et sententiarum densitate et verborum poprietate alios aliosque penitus intellegendi conatus excitat, et propter peculiarem librorum manuscriptorum, quorum sola fide nititur, condicionem [1]), novam semper coniectandi materiam praebet. Quo in genere quid praestitum sit in hisce obversationibus, quae assidua nobis et attenta lectione obnatae sunt, periti horum studiorum iudices viderint.

Hist. I, 49. in. Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius e prioribus servis humili sepultura in privatis eius hortis contexit. Haec verba, sicut in codice Mediceo leguntur, Friderici Jacobi, [2]) cuius memoriam sancte colo, ideo suspitionem moverunt, quia ad ludibria, quibus militum furor in Galbae corpus saeviebat, in tanta animorum ferocia tenebrarum licentia non opus esse, sed ea excusatio potius ad celandam sepulturam accommodata videbatur, praesertim cum Plutarchus, ubi eandem rem narrat, diserte dicat [3]): ἔθαψε νυκτὸς Ἀργεῖος ἀπελεύθερος. Cum igitur Jacobus paucis verbis transpositis scribi iussisset: corpus diu neglectum et plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius ... in propriis eius hortis licentia tene-

[1]) Egit de ea re accurate et prudenter Carolus Heraeus in Studiis Criticis in Mediceos Taciti libros, inprimis inde a p. 15 de generibus vitiorum Mediceorum codicum.

[2]) in programm. Catharinei Lubec. a 1838. p. 19.

[3]) Othon. c. 28. extr.

brarum contexit; Halmius, vir clarrissimus, de re cum Jacobo consentiens verborum ordine paulum mutato hunc locum nuperrime sic edidit: G. corpus diu negl. et pl. lud. vexatum, licentia tenebrarum disp. Arg. e prior. servis hum. sep. in priv. eius hortis contexit. Sed neutra harum rationum verum inventum esse censeo: id quidem probe in iis intellectum est, verba licentia tenebrarum loco suo non aliter posse defendi, nisi si in iis quae praecedant aliquid contineatur, cui tenebrae istae opponantur; hoc ipsum autem, quod desideramus, non deest in vulgata scriptura, modo agnoscatur. Pro certo enim affirmaverim, particulam diu h. l. non consueto more de temporis diuturnitate esse intellegendam, sed rariore usu a Tacito eo sensu positam esse, quo plerumque interdiu usurpatur. Et primum quidem, si omnia ea, quae inde a cap. 27. tanquam fatali illo die, octavo decimo Kalendas Februarias, gesta narrantur, repetimus, necessario statuendum est Galbae caedem (cap. 40. 41.) die iam longius provecto perpetratam esse: cumque corpus eius insequenti nocte humatum sit, manifesto non satis temporis, praesertim hiberno mense, supererat, ut diu h. e. per longum tempus neglectum esse dici potuerit. Sed jure quaeritur, num rarior ille usus, quo diu ponatur pro interdiu, satis firmis nitatur exemplis. Et sane quidem, quamquam principio haud dubie utraque adverbii significatio perinde usitata fuit [4]), altera, quae tempus diuturnum complectitur, paulatim adeo praevaluit, ut diu pro interdiu vix aliter dictum reperiatur, nisi cum opposito suo, quod est noctu, coniunctum. Sic apud Tacitum ipsum bis legitur: A. 15, 12. H. 2, 5., apud Sallustium Iug. c. 38, 3. 44, 5. 70, 1. et in fragm. a Charisio II. p. 185. servato, apud Plaut. Casin. 4, 4. 5. et in Titinnii fragmento apud Non. M. p. 98. Sed tamen hunc usum nondum in meram formulam abiisse, inde apparet, quod cum plerumque diu noctuque hoc ipso verborum ordine coniunctum inveniatur, Tacitus ipse altero (Hist.) loco inverso ordine scripsit: noctu diuque, quemadmodum Plautus quoque liberius variavit, modo noctu et diu, modo nec noctu nec diu admittens. Quintilianus etiam aperte ex sui temporis more particulam diu diurni temporis significatione non minus consueto usu habet quam particulam noctu, cum observet (I, 4, 29.): Nam ut noctu et diu ita dictu et factu. Quae cum ita sint, non

---

[4]) cfr. Doederlein. Lat. Synon. IV. p. 268.

dubito quin Tacitus nostro loco paulo maiore libertate usus, ubi non ipsum vocabulum noctu, sed, quae eodem sensu ponuntur, verba licentia tenebrarum sequuntur, diu tamen dixerit pro interdiu. Haec igitur apto et accommodato ordine narrat: Galbae corpus, quamdiu lucebat, dum milites aliis curis distracti fortasse etiam pudore aliquo retinentur, neglectum iacebat; sed ubi nox cuiusvis flagitii licentiam praebuit, plurimis ludibriis vexabatur: tum dispensator Argius corpus Caesaris militum manibus ereptum humili sepultura contexit. Concesserat enim Otho, teste Plutarcho l. c. Helvidii Prisci precibus, ut iusta ei solverentur: quae ut a fidis servis peragerentur, quamquam temporis necessitate noctu id factum est, tenebrarum licentia opus non erat.

H. I, 57. extr. descripta aemulatione sociorum, Agrippinensium, Treverorum, Lingonum Vitellianis exercitibus pecuniam et arma offerendi, haec adduntur: sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora loco pecuniae tradebant instinctu et impetu et avaritia. Num triplicem hanc tradendi causam recte indicatam esse credamus, eamque iterata copula (et) diserte distinctam? Instinctus enim si recte h. l. tanquam offerendi causa affertur, ab impetu nisi ardoris gradu non differt: ideoque utrumque coniunctum non apte avaritiae, quae in aliud genus caderet, oppositum esset. Ut dicam quod sentio, scribendum esse suspicor: instincti et impetu et avaritia: duae diversae inter se causae milites moverunt: rudiores alteros et imperitos, qui aliorum exempla sequebantur, impetus i. e. caecus quidam agendi ardor, alteros, qui belli casuum gnari brevem iacturam largiore praeda se compensare posse sperabant, avaritia instincti sua tradebant. Saepius Tacitus hoc participio eodem sensu usus est velut Agr. c. 16. Dial. c. 14. Et magna utriusque causae diversitas repetita copulandi particula diserte expressa est.

Omnino autem qui Taciti scribendi usum compertum habet, non ignorat, quantum ad veram interioris sensus cognitionem accurata coniungendi disiungendive particularum observatio valeat, in quibus Medicei codicis librarius levi incuria haut raro erravit. Cujus rei pauca exempla addo. H. I, 85. Turbulenta militum secessio Othonis oratione vix erat repressa; — non tamen quies urbis redierat: strepitus telorum et facies belli, et militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis

per domos occulto habitu, et maligna cura in omnes quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribns obiecerat. In his verborum ordinem non apte cohaerere iampridem alii viderunt et variam medelam temptarunt. In veteribus quidem editionibus inde a Puteolano priore copula ante militibus eiecta, reliqua sic legebantur: — — facies belli erat, militibus — — turbantibus. Sed manifesto, ut recte monuit Fr. Jacobus[5]) verba militibus — turbantibus nequaquam depingunt faciem belli: quod idem contra Doederlini et Haasei rationem valet, qui et verbum erat et particulam et ante militibus omittunt. Mihi vero accuratius verborum contextum reputanti, strepitus telorum et facies belli tertium eiusdem naturae nomen requirere videtur, quod cum praecedentibus arte coniungatur: id autem nanciscimur, si non prius illud et, sed alterum, quod ante maligna cura legitur, delemus: quo facto primaria sententia: non tamen quies urbis redierat tribus his causis explicatur, quae tanquam appositio, quam dicunt, tribus nominibus continetur: strepitus telorum et facies belli et militibus — maligna cura in omnes, quos — — obiecerat. Itaque non solum palam seditionis male repressae vestigia apparebant in strepitu telorum et (universa) facie belli, sed, quod magis etiam metuendum erat tanquam infesti animi indicium, milites occulto habitu per domos spargebantur et maligna cura nobilissimos quosque, quippe in quos oblata occasione irruerent, suspitiose observabant. Militibus enim tertio casu positum proxime iungendum est cum maligna cura.

Simile male geminatae copulae exemplum legitur H. II, 29. spolia Galliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultari (sic recte Halmium coniecisse censeo pro vulg. occultare) clamitantes. Haec ut recte intellegantur, memoria repetenda sunt, quae I, c. 63—66. de Fabii Valentis eiusque exercitus per Gallias itinere narrantur: Mediomatrici, Aedui, aliae Gallorum civitates, metu perculsi omnia placamenta hostilis irae, non quidem in bello, sed pro pace tendebant (c. 63. extr.); — iussi pecuniam atque aurum deferre gratuitos insuper commeatus praebuere (c. 64.); — Viennenses inprimis trecenos singulis militibus sestertios pendere iusserat Valens; sed fama constans fuit

---

[5]) in progr. Lubec. a. 1839. p. 20.

ipsum Valentem magna pecunia emptum; — lento deinde agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ducto exercitu, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes dux venditabat (c. 66.). Quod hac descriptione haut ambigue innuitur: Valentem milites fraudavisse maioremque partem praedae et exactionum in suos usus convertisse, id milites nostro loco alte clamitant: ipsum occultare quae suis laboribus meruissent: qui sensus ut vere appareat, necessario, altera copula omissa, legendum est: spolia Galliarum et Viennensium aurum, pretia laborum suorum, occultari: nam spolia G. et V. aurum, quae Valentem occultare incusant, acerbe pretia laborum suorum esse contendunt.

Adjungimus tertium locum, quo particulis non recte observatis verum sensum obliteratum esse persuasum habemus: legitur is egregio exordio orationis Muciani II, 76.: omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent an quod inchoaturi reipublicae utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu aut certe non arduum sit; simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Iam si accuratius attendas, quaestio quae hoc loco proponitur tres continet partes, quarum unaquaeque paulo post fusius pertractatur: prima qua duae res arte coniunguntur: salus reipublicae et honor eius qui consilium suscepit, altera consilii perficiendi difficultas, tertia denique, an ipse qui suasit consilio periculum suum adiciat. Et prima quidem quaestio breviter absolvitur verbis quae proxime sequuntur: ego te, Vespasiane — — post Vitellium eligi; altera quae ad rem peragendam gravissima est, accuratius explicatur inde a verbis: non adversus divi Augusti acerrimam mentem usque ad finem capitis. Tertia denique, qua Mucianus ipse suas in eo consilio rationes exponit, capite 77. continetur, donec peroratio inde a verbis acriore hodie disciplina bene sperandi causis allatis nutantem Vespasiani animum confirmat.

Quam partium dispositionem si recte perpenderimus, haut leviter ea particula offendemur, qua in exordio orationis prima ab altera distinguitur: legimus enim: an — reipublicae utile ipsis gloriosum, *aut* promptum effectu aut certe non arduum sit. Sed quomodo, quaeso, duae tam diversae inter se quaestionis partes, quarum utraque seorsim suo loco in deliberationem vocatur, tanquam similes et

contiguae particula aut quae optionis copiam facere videtur, conecti potuerunt? Expectares, si omnia plene enuntianda erant, diserte partes quaestionis sic enumerari: primum an reip. utile, ipsis gloriosum, deinde an promptum effectu aut certe arduum sit; vel omissa enumeratione locum in brevius contractum sic scribi: omnes — aestimare debent an — reip. utile, ipsis gloriosum, an promptum effectu aut certe arduum sit; idque quin a Tacito profectum et repetita interrogandi particula (an) partium distinctio recte indicata sit, non dubito.

Et hoc quidem loco repetita particula librarii incuria neglecta restituenda esse videtur: saepius etiam contrarium factum esse videmus, ut vocabulo aliquo alieno loco perperam repetito simplex sententia obscuretur: cuius rei pauca exempla ab editoribus, ut videtur, nondum animadversa subiungimus. Primum igitur H. I, 67. ubi causae explicantur atrocis ultionis, quam Caecina Helvetiis inflixit, haec legimus: initium belli fuit avaritia ac festinatio unaetvicensimae legionis: rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod *olim* Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. Sed quid hoc loco olim significat? Nam Helvetios eo ipso tempore, quo Caecinae exercitus adventabat, castellum suum custodia tueri, cum rerum, quae narrantur, ordo, tum imperfectum tempus (tuebantur) luce clarius demonstrat. Itaque particula olim aut ex superiore linea (Gallica gens olim armis) mera librarii oscitantia in hunc locum inrepsit, aut aliud vocabulum, quod scripturus erat librarius, submovit. Quamvis autem deleto olim nihil ad perspicuitatem desideres, tamen si accurate totum locum consideraveris, excidisse aliquid veri similius esse videbitur. Ut enim alia omnia indicant Helvetios Romanorum iugum moleste ferre, ita illud quoque eiusdem contumaciae testimonium commemoratur, quod castellum in finibus suis positum non Romanis custodiendum tradiderunt, sed ipsi suis militibus suisque stipendiis, nullo Romanorum praesidio admisso, tanquam libertatis pignus custodiebant. Quod ut manifestius in oculos cadat, Tacitum scripsisse suspicor: quod *soli* Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur.

Sed non abscedo ab hoc loco, quin aliud, quod traxisse videtur, vitium obiter sustulerim. Helvetii, quibuscum Caecina armis conflixit, initio eiusdem capitis dicuntur Gallica gens olim armis virisque, mox memoria nominis clara.

His verbis aperte vetus eius gentis gloria designatur, quae Caesaris dictatoris aetate florebat, tum iampridem obscurata erat et obsoleta. Fruebantur sane memoria (illustris olim) nominis: num autem ideo gens ipsa tum quoque cum iampridem gloria interisset, clara, i. e. ab aliis quoque laudibus celebrata, recte dicatur? Imo Tacitum scripsisse puto: Gallica gens olim armis virisque, mox memoria nominis elata. Quanta enim superbia Helvetii olim opibus suis confisi sint, id ex primis Caesaris de bello gallico capitibus (c. 2. perfacile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. c. 3. non esse dubium, quin totius Galliae plurimum Helvetii possent) satis notum est. Participio autem elatus eodem adiectivi sensu usi sunt Cicero (de leg. agr. 2, 35, 97. quibus illi rebus elati et efflati) et Caesar (b. civ. 3, 59. freti amicitia Caesaris et stulta ac barbara arrogantia elati).

Iam vero alterum locum indicabo, quem vocabulo ex prioribus male repetito corruptum esse existimo. H. 2, 19. in. in omnibus editionibus haec leguntur: postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. Quae a Tacito nullo modo sic scribi potuisse, ex ipso rerum, quae h. l. narrantur, decursu demonstrabimus. Cum enim Othoni Romae diutius cunctanti prima consilia frustra cecidissent, Caecina transgresso iam Alpes, quem sisti intra Gallias posse speraverat, Annius Gallus cum expedita manu ad occupandas Padi ripas praemissus erat (c. 11.), et Vestricius Spurinna, qui cum tribus praetoriis cohortibus et mille vexillariis paucisque equitibus primum agmen ducebat, Placentiam obtinuerat, priusquam Caecina advenit (c. 18.). Sed quantum inter Padum Alpesque camporum erat et urbium, armis Vitellii tenebatur (c. 17.); quin etiam Vitellianus miles, inprimis Batavorum Transrhenanorumque cohortes, intercepta Othonianorum manu inter Placentiam Ticinumque, eo successu incensi contra Placentiam [6]) Padum transgressi, raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent. Tum vero Spurinna falso nuntio non exterritus, quoniam certum ei erat nondum venisse Caecinam, intra moenia copias coercere statuit.

---

[6]) contra Placentiam interpretandum esse videtur: haut procul Placentia e contraria parte fluminis, aut rescribendum: supra Placentiam.

Sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere ducemque vi coactum secum trahere. Quam in partem igitur impetus ruentes ducebat? — Nempe in hostes, qui Padum transgressi erant. Cum autem Placentia in ipsa Padi ripa sita esset, milites qui ex eius oppidi munimentis prorumpebant, aperte non propius ad Padum accedebant, sed a flumine aversi in patentibus campis (c. 19.) hostem quaerebant. Quae cum ita sint, quo tandem sensu intellegi possunt verba: postquam in conspectu Padus? Padus exeuntibus erat in conspectu, non progredientibus in conspectum venit. Illud quoque iure mireris, cur fluvii adspectus causa esse potuerit castra vallandi. Sed ut rem breviter transigam: Padus in praecedenti narratione aliquotiens suo loco commemoratus, perperam h. l. in dormitantis librarii calamum obrepsit: Tacitus, ut ex sequentibus elucet, nihil aliud scripsit, quam quod simili occasione saepius legimus (v. c. infra c. 28.): postquam in conspectu *hostis* et nox adpetebat. Nam hostes non procul afuisse peritiorum militum sollicitudo ostendit, qui summum periculum metuebant, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset.

Addo et tertium locum simili, nisi fallit coniectura, errore obscuratum. H. II, 6. vires enumerantur Vespasiano ad bellum suscipiendum paratae: septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Suria Iudaeaque: inde continuo Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quidquid castrorum Armeniis praetenditur. Jam hoc primum observandum est Tacitum singulari arte ab initio operis ita omnia disposuisse, ut Vespasianus, qui ceterorum spolia erat lecturus, dum Galba, Otho, Vitellius frustra de imperio decertant, insigni quadam dignitate ante legentium oculos versaretur. Itaque I, 10. ubi primum eius mentio fit, et ipse tanquam fatis ad principatum vocatus, ad bellum Iudaeicum cum tribus legionibus administrandum electus et Mucianus consiliorum eius particeps, cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere, Suriae cum quattuor legionibus rector in scaenam producitur. Deinde priusquam Otho ad ultimum certamen descendit, utriusque iterum et mores describuntur, et opes militares recensentur (II, 4 et 5.) tres, ut supra memoratum est, ipsi Vespasiano legiones erant exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace. Quamobrem cum de harum copiarum numero bis accurate edocti simus, nihil aliud nostro loco Tacitum

scripsisse expectes, quam haec: septem legiones statim cum ingentibus auxiliis: statim enim, ut Graecorum αὐτίκα, illud indicat quod est in proximo. Quod si quis forte disertius explicandum esse duxit, provinciarum nomina, in quibus distributae erant legiones, Suria Iudaeaque, quae in proxime superioribus iam commemorata vidit, fortasse adscripsit. Ea ipsa autem legentis cuiusdam adnotatio cum in verborum ordinem esset recepta, particula et prava interpretatione accessit: quo facto veram loci sententiam prorsus vitiatam esse censeo. Nam cum septem legiones cum ingentibus auxiliis ex notissimo Romanorum usu, quo par fere auxiliarium copiarum numerus plerumque cum legionibus coniunctus erat, facile intellegantur, Syria Iudaeaque cum ingentibus auxiliis omnino cogitari non possunt, cum Syria nunquam neque opibus militaribus neque virtute bellica praecelleret, Iudaea autem eo ipso tempore atrocissimo bello premeretur. Contra omnia recte habent, si omissis interpretamentis pristinam loci formam restitueris: septem legiones statim cum ingentibus auxiliis: inde (i. e. ab altera parte) continua Aegyptus duaeque legiones, hinc (i. e. ab altera) Cappadocia cett.

Sed quoniam eum locum attigimus, quo sociata Vespasiani Mucianique consilia exponuntur, alia difficultas non praetermittenda esse videtur, qua in recepta scriptura offendimur. Legimus enim c. 5.: exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere, primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus. Num in hac verborum compositione, quae duplici Titi designatione, altera nomini praemissa (praecipua concordiae fides), altera in fine subiecta (natura atque arte compositus cett.) immodico ambitu extrahitur, veram Taciti manum agnoscimus? Imo lenissima mutatione, qua alii aliis locis prospero successu usi sunt, membrorum aequalitatem reducendam esse duco: exitu demum — — primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus: *is* prava certamina — aboleverat cett.

Quemadmodum h. l. addito pronomine, quod propter vicinae syllabae similitudinem excidisse videtur, veram sententiae lucem redditam esse confido, sic etiam particulam perperam omissam necessario inserendam esse existimo H. II, 59. ubi nunc, postquam de inanibus in infantem Vitellii filium honoribus collatis dictum est, haec adduntur:

nimius honos inter secunda, rebus adversis in solacium cessit. Sed cum Vitellius ipse post breve principatus simulacrum turpi nece occiderit (3, 84. 85.), et filius eius infans paulo post Muciani iussu interemptus sit (4, 80.), quo tandem iure nimius honos in solacium cessisse dici potuit? Quod qui fieri non posse recte vidit Dureau de la Malle, interpres Francogallicus, pro solacium scribi iussit exitium. Sed non id erat quod Tacitus voluit: nam infans filius non ideo occisus est, quod cunctis fortunae principalis honoribus a patre cinctus erat: imo Mucianus Vitelli prolem quamvis innocentem et obscuram sustulisset. Equidem non dubito, quin Tacitus scripserit: Nimius honos inter secunda, *nec* rebus adversis in solacium cessit. Nam quod Waltherus ad defendendam scripturam volgatam profert: nihil se videre absurdi, si nimius honos inter secunda dicatur eum habuisse eventum, ut pensatio adversarum rerum fuisse videatur, quas postea expertus est, id ipso rerum eventu nequaquam confirmatur: ubi enim eiusmodi solacii locus tempusve invenitur? Idemque etiam contra Creverii interpretationem monendum esse videtur, quae Orellio satisfecit: „honneur d'un moment, faible compensation pour la disgrace cruelle qui était reservée au père et au fils dans peu de mois:" nam nihil solacii ex nimio honore redundavit. Quod longe aliter habet in iis locis, ubi Agricolam tradit (c. 6.) auctum esse filia in subsidium simul et solacium: nam filium ante sublatum brevi amisit, vel c. 44.: festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum tempus Domitiani. Ceterum id quoque animadvertendum est, Tacitum non raro particulam nec posuisse in iunctura inaequalium membrorum, velut A. 3, 51. Agr. 8. verecundia in praedicando extra invidiam *nec* extra gloriam erat.

Iam ad alium locum transeo, qui iampridem interpretum suspitiones movit, sed veram medelam nondum nactus esse videtur. Vitellius post victoriam Bedriacensem omnes copias, quibus parum fidebat, in remotas terras dispersit: legio decima quarta in Britanniam, prima classicorum in Hispaniam, undecima et septima in sua hiberna remissae sunt; postremo (H. 2, 69.) „Batavorum quoque cohortes, (quas initio ut fidas agmini suo iunxerat c. 66.) ne quid truculentius auderent in Germaniam remissae, principium interno simul externoqua bello parantibus fatis:" quibus verbis et imminentem Vespasiani motum et instantem Civilis seditionem significari manifestum est; et ad hanc quidem aperte ea referenda sunt,

quae adduntur: reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Sed quo sensu h. l. inania belli dicuntur? Num Batavorum cohortes speciem magis terribilem praebebant, quam robur? sicut 2, 76. inania famae, Agr. 6. inania honoris dicta sunt. Verum attende modo, quantum virium eaedem istae Batavorum cohortes paulo post Civilis causae addiderint, quarum adventu iusti iam exercitus ductor sibi esse videbatur (4, 19—21.). Quamobrem Acidalius et Danesius probe intellegentes inania belli ferri non posse, minas belli aut initia belli coniecerunt: utrumque quamquam ad sensum aptum ad proprium Taciti dicendi usum non satis accommodatum. Sed quid revera a scriptore profectum sit, id ab ipso optime docebimur. Nam Mucianus eadem illa oratione, cuius de exordio supra egimus p. 5 sqq., ad confirmandam Muciani fiduciam ea, quae deinceps a Vitellio decreta et effecta esse inde a c. 66. usque ad c. 69. legimus, c. 76. uno conspectu complectitur his verbis: interim (Vitellius) spargit legiones, exarmat cohortes, nova (nisi forte rectius novo scribatur, quia gravius periculum in eo positum esse videtur, quod novum exoritur bellum) cotidie bello semina ministrat. In quibus sicut verba spargit legiones, exarmat cohortes ea quae c. 66. et 67. accuratius exposita sunt breviter comprehendunt, ita verba nova (novo) cotidie bello semina ministrat priorem partem c. 69. paucis referunt. Quamobrem non dubito, quin nostro loco vera scriptura reddatur, si ex oratione Muciani pro corrupto isto inania nomen vere Tacitinum receperimus: ingens numerus et prima statim defectione inter *semina* belli adsumptus. Eodem nomine eadem vel simili iunctura Tacitus utitur A. 3, 41. 4, 27. 11, 19. H. 4, 18. 80.

Ut h. l. scriptori nostro proprietatem sermonis, quae est insignis eius virtus, reddidisse mihi videor, similem medelam etiam II, 70. adhibendam esse censeo. Cum Vitellius Bedriacensibus campis insistere ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupisceret, Valens et Caecina monstrabant pugnae locos; et volgus quoque militum visendi avidum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere. Quid igitur tum oculos eorum advertit? — „Aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari.“ — Et strues quidem corporum recte dicuntur, quia post atrocissimum proelium paucos necessarii ipsorum sepelivere,

ceterum volgus super humum relictum c. 45. Nam ut h. l. tot milia insepultorum civium, sic etiam III, 83. cadavera caesorum passim iacentia strues corporum appellantur: neque necessario strues ordine tantum compositum acervum significat[7]). Sed quomodo agger armorum h. l. cogitari possit, non video, cum arma caesorum haud dubie aut a victoribus abrepta, aut ubi sparsa iacebant, relicta essent? Non igitur aggerem armorum scripsit Tacitus, sed *stragem* armorum, ut scripsit Livius de eadem re 35, 30, 5. strage armorum saepta via; et similis usus exempla leguntur Liv. 2, 59, 8. 10, 39, 11. 26, 6, 2. neque aliter ipse Tacitus H. I, 76. aedificiorum et hominum stragem et I, 86. stragem obstantis molis dixit.

Denique ad locum satis impeditum, qui in extrema parte libri secundi Historiarum legitur, convertimus, quem, si forte nondum omni ex parte sanare nobis contingat, rectius tamen, quam adhuc factum est, nos interpretaturos esse speramus. Video enim Halmium, virum clarissimum, cuius de Tacito merita eo maiore laude digna sunt, quo minus splendidam captant speciem, in recentissima editione, relicta ea quam antea secutus erat ratione cap. 100. extr. verba ut et similes sint, Wurmio auctore obelo notavisse, et cap. 101. Ernestio, Walthero, Bekkero, aliis praeeuntibus singularem numerum verborum anteiretur, videtur, plurali (anteirentur, videntur), quem tuetur Mediceus, praetulisse. Utrumque autem non recte factum esse, demonstrare conabor. Et ut a posteriore loco initium faciam, vere mihi Fridericus Jacobus (progr. 1842. p. 11) observavisse videtur: quoniam allatae perfidiae causae in Bassum non minus quam in Caecinam cadant, utrumque eodem perfidiae crimine teneri. Sed clarius fortasse pluralem numerum necessario retinendum esse apparebit, si totum eius loci de quo agimus contextum per singulas eius partes erimus persecuti: Tacitus igitur, primis perfidiae indiciis apud Caecinam iam cap. 93. et 97. commemoratis, cap. 100. ambigua eum in itinere legionibus imperasse, et post suspectam diversionem Ravennatem Patavii secretum componendae proditioni[8]) quaesivisse enarrat. Quod secretum quo spectaverit,

---

[7]) cfr. Doederlein. Lat. Synon. II. p. 118. Not.

[8]) sic enim scribendum esse ex Taciti dicendi more pro genetivo proditionis, recte Halmium suspicari censeo.

statim docemur: Caecina enim Patavii cum Lucilio Basso ea proditionis consilia clam componit, quae brevi peracturi sunt[9]). Et postquam Lucilii, qui primum h. l. in scaenam vocatur, vita anteacta paucis adumbrata est, amborum hominum, qui ad Vitellii perniciem coniurarunt, et mutuae inter ipsos rationes et propriae uniuscuiusque in defectionis consilio partes accuratius explicantur. Tacitum autem Lucilio non minorem in ea fraude tribuisse culpam, postrema verba cap. 100. indicant: nec sciri potest traxeritne Caecinam, an quod evenit inter malos ut et similes sint, eadem illos pravitas impulerit: quae si non principatum, parem certe illi cum Caecina locum adsignant. Sed haec ipsa verba, qualia e codice Mediceo in omnes editiones ante Halmianam transierunt, sic scribi non potuisse, recte vidit Wurmius, quem Halmius sequitur, laciniam istam ut et similes sint uncinis includens. Quid enim inanius cogitari potest quam id ipsum: inter malos evenire ut et similes sint? quod artificiosa interpretatione, quam plerique temptarunt, nunquam in melius vertetur. Sed etiam Wurmii coniectura, qui verba suspecta resecari iussit, nondum verum assecuta esse videtur: nam quae restant, non magis satisfaciunt: quid enim diserte adnotare opus erat: id evenire inter malos, ut eadem illos pravitas impellat? Quare etsi haut affirmare ausim, quae verba a Tacito scripta sint, de sensu tamen, qui in verbis depravatis lateat, vix dubitari posse puto, si priorem quaestionis quam proponit partem recte expenderis. Nam si priore loco quaeritur: traxeritne Caecinam (i. e. an Lucilius auctor fuerit consilii), altero loco, quo contrarium requiritur, erat quaerendum: an simul ambo in idem consilium inciderint; idque, quod sententiae ordo necessario postulat, utcunque in media illa propositione restituendum est. Facillima esset emendatio, si rescriberes: ut et simul similes sint, sed graviorem aliquam et magis quaesitam expectamus dictionem, velut ut et simul idem velint, ut et simul existant, vel simile aliquid, quod qui me magis valet ingenio, fortasse inveniet, modo de re ipsa mecum consentiat: mihi enim etiam in arte critica factitanda interdum acquiescendum videtur in illo Horatiano: levius fit patientia quicquid corrigere est nefas, aut certe in lubrico.

---

[9]) Bassi defectio III, 12., Caecinae proditio c. 13, sqq. memoratur.

Iam vero cum turpe istud proditorum foedus satis explicatum, vinculum foederis in obscuro relictum sit, continuo nullo orationis intervallo, quod propter volgatam capitum distinctionem perperam intercedere videtur, iudicia scriptorum temporum subiciuntur. In quibus ut verba ipsa sana sunt, ita volgata verborum distinctio vitio laborat. Nam cum verba corruptas in adulationem causas levioris distinctionis signis volgo includantur, appositionis, quam dicunt, locum obtinent. Quod si verum esset, reliqua verba: curam pacis et amorem reipublicae tradidere, etiam omissa appositione ad sensum sufficere oportuit: id quod aperte secus habet. Vera autem verborum structura in eo continetur, ut verba curam pacis et amorem reip. obiecti (quod dicunt), verba corruptas in ad. causas praedicati loco posita esse agnoscantur. Omnino enim nihil aliud erat dicendum nisi hoc: scriptores temporum curam pacis et amorem reipublicae causas tradidere: quod cum superioribus et inprimis cum pronomine illos arte coniunctum hoc sensu erat intellegendum: illos (Caecinam et Bassum) cura pacis et amore reipublicae defectionis consilium cepisse. Sed Tacitus ipse falsam eius iudicii simulationem aspernatus consulto addit: corruptas in adulationem, quibus verbis manifesto testatur, eos qui talia protulissent, veras causas, quas probe compertas habuissent, in adulationem i. e. ut Vespasiano assentarentur, corrupisse.

Iam autem si omnia, quae hucusque legimus, aperte ad utrumque, ad Caecinam et Bassum spectabant, idem quoque necessario de iis statuendum est, quae sequuntur, nec dubium esse potest, quin pluralis numerus anteirentur — viderentur recte in Mediceo codice legatur. Nam Bassum quoque iam olim fidem mutasse, quamvis eius rei a Tacito non diserte mentio facta sit, ex brevi illa, quam adiecit, de vita eius notitia satis apparet, ut recte docuit Fr. Jacobus. Accedit quod etiam bipartita illa divisio, qua diversa utriusque agendi ratio, quamquam eadem moliebantur, in libri exitu describitur (Caecina — centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat, Basso — minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe) non aliter recte potest intellegi, nisi si praemissa communi amborum commemoratione nitatur.

Sed alia restat huius loci difficultas omnium, ut mihi quidem videtur, gravissima, quamquam ab editoribus aut plane neglecta aut minus perspecta. Cum enim cod. Med.

manifesto errore legatur: ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium videntur; editores ad unum omnes Lipsio [10]) praeeunte levissimo sane remedio, nomine Vitellium bis posito secundo loco eiecto, locum in veram formam restituisse sibi videbantur: non recte, opinor. Nam vitium non in posteriore nomine male repetito positum est, sed in priore corrupto. Tacitus enim, refutato aliorum scriptorum iudicio, qui Bassi Caecinaeque causas proditionis in adulationem corruptas tradiderant, vera quibus ducebantur consilia aperit. Sed aemulatio et invidia qua eos motos fuisse ostendit, nequaquam id spectabat, ne apud Vitellium ab aliis anteirentur: quid enim a Vitellio sperandum erat aut metuendum eo ipso tempore, quo proditionem eius meditabantur. Imo id unice curabant, cum de futuro imperii arbitro non amplius dubitarent: ne ab aliis apud *Vespasianum* anteirentur: idque Tacito restituendum esse pro certo affirmaverim. Quo facto, quae sequuntur: pervertisse ipsum Vitellium videntur aut immutata relinquenda sunt, aut leni fortasse mutatione scribendum: pervertisse *ipsi* Vitellium videntur. Nam licet volgatam scripturam sic fortasse tueare, ut consilii audacia eo aucta esse videatur, quod ipsum imperatorem sit adorta, aptius tamen id dictum esse videtur: ne ab aliis anteverterentur, ipsos Vitellium perdidisse.

Sed haec in praesentia sufficiant, quia latius excurrere temporis angustiae vetant: plura Deo favente proximo anno eadem occasione subiungemus.

---

[10]) qui haec adnotavit: vox Vitellii inepte repetita et inculcata, ut solet, ab interprete; scribo ea eiecta: pervertisse ipsum videntur.



Loci qui in altera symbolarum criticarum particula aut explicantur aut emendantur:



Schulnachrichten.

Der Unterricht im Gymnasium hat im verflossenen Schuljahre ohne bedeutende Störungen seinen regelmässigen Fortgang gehabt: in einzelnen Erkrankungsfällen von Lehrern ist die Aushülfe, so weit thunlich, aus unsrer Mitte beschafft worden. Da auf Veranlassung des allgemeinen deutschen Schützenfestes auch die Räumlichkeiten des Gymnasiums zur gastlichen Aufnahme fremder Schützen benutzt werden mussten, so war es nöthig, die Sommerferien, welche aus demselben Grunde eine Woche später angesetzt waren, vier Tage vor ihrem gesetzlichen Anfange zu beginnen. Wir hoffen, dass die erhebenden Eindrücke, welche die grossartige Feier durch das einmüthige Gefühl der nationalen Zusammengehörigkeit aller deutschen Stämme auf jedes empfängliche Gemüth machen musste, auch für unsre Jugend nicht ohne wohlthätige Folgen bleiben werden, zur Belebung wahrhaft patriotischer Gesinnung und des ernsten Strebens, durch gründliche Ausbildung sich zum Dienste des Vaterlandes tüchtig zu machen.

Die Vertretung des Herrn Professor Dr. Kriegk hat auch im abgelaufenen Schuljahre in der früher angegebenen Weise durch die Herren Dr. Creizenach und Professor Dr. Cassian stattgefunden.

Herr Professor Kriegk, welcher von Hohem Senate unter dem 27. Januar d. J. zum Stadt-Archivar ernannt ist, hat bereits sein neues Amt angetreten. Indem wir ihn mit den wärmsten Wünschen für den glücklichen Erfolg der wichtigen und ehrenvollen Wirksamkeit, durch welche er sich um die Geschichte Frankfurts schon grosse Verdienste erworben hat, aus unserm Collegium scheiden sehen, spreche ich im Namen der Anstalt, welcher er seit Ostern 1848 den reichen Schatz seiner gründlichen

Kenntnisse und seiner ausgezeichneten Lehrgabe mit gewissenhafter Treue gewidmet hat, die ehrendste Anerkennung aus: ein dankbares Andenken ist ihm in den Herzen seiner zahlreichen Schüler gesichert.

Zu der erleuchteten und wohlwollenden Fürsorge der Hohen Behörden dürfen wir das zuversichtliche Vertrauen hegen, dass für die Besetzung der nun erledigten Stelle, so wie für die definitive Regelung der noch bestehenden provisorischen Anordnungen in den unteren Classen zum Gedeihen des Gymnasiums recht bald die erforderlichen Entscheidungen erfolgen werden.

